

**Dissertatio inauguralis physiologica experimenta circa chylum sistens ... /
submittit Antonius Mueller.**

Contributors

Mueller, Anton.
Universität Heidelberg.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Heidelbergae : Typ. Josephi Engelmanni, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/um6r634q>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>


DISSE^RTATIO
INAUGURALIS PHYSIOLOGICA
EXPERIMENTA CIRCA CHYLO
SISTENS
IN CERTAMINE LITERARIO
ACADEMIAE RUPERTO - CAROLINAE
DIE XXII NOV. MDCCXIX.
PRAEMIO MAGNI DUCIS BADARUM MUNIFICENTIA
CONSTITUTO
EX SENTENTIA
ILLUSTRIS ORDINIS MEDICORUM
ORNATA
QUAM PRO
GRADU DOCTORIS.

SUMMISQUE IN MEDICINA CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICA
HONORIBUS CONSEQUENDIS ERUDITORUM EXAMINI.

SUBMITTIT
ANTONIUS MUELLER
ALTAVILLANUS.

HEIDELBERGAE MDCCXIX.

TYPIS JOSEPHI ENGELMANNI.



VIRIS CELEBERRIMIS ET DOCTISSIMIS

CAROLO CASPARO CRÉVE,

Medic. ac Chirurg. Doctori, Magnoducalis Francofurtens. Consiliari. intim. Ac Ordinis Concordiae Equiti, Colleg. suprem. Ducatus Nassoviae regimin. membro, extraordin., ejusq senatus rei medic. consiliar. correspond., Therapiae special. et Clinic. in schola medico-chirurgic. olim Magni ducatus Francofurt. Prof. p. ordin. complurium societatum literar. membro.

FRIDERICO TIEDEMANN,

Medic. et Chirurg. Doctori, Anatomiae ac Physiol. Prof. publ. ord., Magn. Duc. Badar. a consil. aulic., Academ. scient. Berolinensis, Monacensis: Parisiensis, societat. liter. Goettingensis, soc physico Medicae Erlangensis et Bonnensis, soc. Natur. Curiosor. Moscoviensis, Marburgensis, Hanoviensis etc. sodali.

LEOPOLDO GMELIN,

Medic. ac Chirurg. Doctori, Chemiae Prof. publ. ordin. Societ. pharmaceut. Petropolitanae, soc mineralog. Dresdensis, soc. natur. curiosor. Marburgensis, nec non, soc. physic. Medic. Bonnensis sodali.


PRAECEPTORIBUS AC FAUTORIBUS

OPTIME DE SE MERITIS

SUMMA PIETATE

D. D. D.

A U C T O R.



P r a e f a t i o.

*F*uit eritque semper mihi maxime in votis, ut
me hominibus utilem praebere possim. Quo-
circa gaudens occasionem arripui, via expe-
rientialiae et ratione duce, ad physiologiae incre-
menta aliquid conferendi. Quaestio ab am-
plissimo medicorum ordine his verbis enunciata:

„*Experimentis instituendis atque praeser-
tim chemica analysi exploretur, quaenam
ciborum remediorumque substantie et par-
ticulae e ventriculo vel canali intestinali
actione vasorum lymphaticorum resorptae
in ductu thoracico occurrant.*”

me alliciebat ob ipsum maximum fructum,
quem certe in medica arte habituram esse eam

censebam. Sed difficile, experimentis ipsis certo indicare, quae et qua via res in sanguinem perveniant; nam saepissime res in chylo contineri possunt, licet nec sapore, nec odore sentiantur, fugiuntque interdum scrutationem nostram, quum aliquando ars chemica nos destituat, aptumque reagens invenire nequeamus; multa enim remedia totam priorem deponunt naturam, ideoque in novam redacta massam, vario modo maxime miscentur chylo, quas commixtiones resolvere nequimus. Itaque physiologiam, tam paucis in hac re periculis factis gaudere, omnino non est mirandum. Detecta vasa lactea physiologis novum aperuere campum; nam Casp. Assellius, Fournier, Pecquetius, Bartholinus — ut modo nonnullos memorem, postquam vias, quibus chylus in sanguinem veniat, majore claritate demonstrarant, physiologi operam quoque dabant rationi chyli diligentius scrutandae. Quum vero ars chemica illo tempore admodum manca fuerit,

atque adeo caruerint ipso auxilio maxime necessario ad investigandum chylum, observationes quoque non nisi imperfectae fuerunt, et physiologi satis habuere, si referrent quasdam observationes et experimenta de sapore, odore et aliis virtutibus chyli. Soli recentiores accuratas de chyli elementis et de ratione, inter ea et materias sumtas intercedente, exhibent. Ceterum illam tam gravem physiologiae materiam, nostris periculis omnibus omnino dubiis exemptam esse, plane non opinamur; nam partim experimentorum nimis pauca instituimus, partim quaedam eorum infelicem habuerunt evenitum. Sed vel ita laetitia adsficior, si tantum modo ad illustrandam viam aliquid contulerim, qua observationes ulteriores nos denique ad certitudinem veritatemque ducere possint.

Responsum ad quaestiones propositas optime in tres partes dividi sum arbitratus, quarum prima historiam experimentorum et observationum contineat, quae ab antiquissimis

*temporibus usque ad nostra facta sunt; altera
experimenta sistat nostra; et tertia compara-
tionem ambarum, opinionemque nostram ex-
hibeat.*

*Non negligendum est, me in his periculis
instituendis, Tiedemanni et Gmelini, virorum
perillustrium et clarissimorum, benignitati ple-
raque debere, quibus igitur gratias quam ma-
ximas ago.*

P A R S P R I M A.

SISTENS PERICULA DE CHYLO INSTITUTA USQUE AD TEMPORA NOSTRA.

§ 1.

De chylo generatim.

Chylus — a $\chi\nu\lambda\omega\varsigma$, succus — est fluidum album, e chymo in intestino tenui, bile efficiente secretum, vasisque lacteis receptum. Cujus fluidi saliva, succo ventriculi viscerumque, pancreatis, parteque tenuiore bilis mixti, adhuc modo illa pars inquisita fuit, quae quatuor aut octo horas post usum alimentorum in animalium ductu thoracico invenitur. Tum vero plerumque chylus lympha mixtus, quem vasa resorbentia lymphatica toto ex corpore in eundem ductum effundunt.

Norant solum neglectim prisci chylum, et nostris demum temporibus illum succum diligenter et artis chemicae ope inquirendi studium recens expperrectum est.

§ 2.

Historiam observationum de chylo spectantes, illico repugnantiam invenimus, quaerentes, utrum

chylus acidus sit nec ne. Brevi igitur illas componam varias opiniones, et nostram in parte tertia huius adferam commentationis.

Bohn et Bartholinus ¹⁾ in quorundam animantium chylo saporem acidum se invenisse, volunt. Birchius ²⁾ chylum colorem tincturae heliotropii in rubrum mutasse contendit. Memorat Culmus ³⁾ chylum super ignem coctum rubescere, et affuso spiritu vini Duvernoy ⁴⁾. Viridet ⁵⁾ chyli dulcedo, inquit, non provenit a defectu particularum acidarum, sed quod ipsae a sulphuris partibus alimentorum obvoluantur etc.; hinc chylus facile acescit etc. Lac quoque, cum nil sit, nisi chylus dilutior in sero suo, acidorum abundantiam sat declareret. (Lac autem omnino non esse chylum, Berzelius ⁶⁾ praecipue probavit. Et partes quoque sulphureae ad acorem chyli obvoluendum reapse non adsunt.) „Continuit porro: ratione sulphurum praedictorum tinctura heliotropii parum, aliquando nullo modo immutatur.” — Summus quoque Hallerus, ⁷⁾ chylum heliotropii tincturae colorem mutare,

1) Bohn p. 135. cum canis pane fermentato pasceretur. Barth. Cent. III. Ep. 97. p. 425.

2) Birch. l. c. apud Haller. elem. phys. T. VII. p. 62.

3) Kulmus anat. p. 75.

4) Duvernoy Comm. acad. Petr. I. p. 269.

5) Viridet. Tract. med. phys. de prima coct. ps. II. p. 280.

6) Berzelius Fortschritte der thier. Chemie. übersetzt v. Sigwart. S. 66. Ihm ist auch Emmert beigetreten.

7) Haller Elem. phys. P. VII. p. 62.

negat; caeterum naturam acidam in chylo ita praevalere, ait, ut sponte acescat, aciditatem modo hanc tanta pinguedine involutam esse, ut heliotropii colorem mutare nequeat. Comparat etiam cum lacte chylum, de qua comparatione autem, idem, quod apud Viridet supra dictum, valet. — Simili modo sese exprimunt Dumas ⁸⁾ et Hallé ⁹⁾.

Wernerus statuit ¹⁰⁾ chylum ad chymi natu-ram accedere inter alia quoque defectu aciditatis, quem ita explicat, ut dicat, chymi oxygenium bi-lem eripere.

Quibus viris etiam consentiunt Vauquelin ¹¹⁾, Marcet ¹²⁾, Magendie ¹³⁾, Brande ¹⁴⁾, Emmert ¹⁵⁾, Thomson ¹⁶⁾, qui omnes chyli aciditatem negant.

8) Dumas Princ. de Phys. Edit. II. T. I. p. 382. „Le chyle „n'est pas essentiellement acide par lui même, mais il possède „en vertu de sa composition chimique une aptitude à être „acidifié, et cette tendance vers l'acidité, conforme à son „état antérieur de chyme, indique la combinaison d'un prin- „cipe muqueux avec la corps sacré.“

9) Hallé cité par Fourcroy Syst. de connoiss. chem. T. 10.

10) Werner, in Scherers Journal der Chemie. B. 8.

11) Vauquelin Ann. de Chim. T. 81. p. 114 etc. „le chyle con-tient un alcali à nu.

12) Marcet. Ann. de chim. et de Phys. T. II. p. 50. „le chyle est „legérement alcalin.“

13) Magendie Precis elem. de Physiol. T. II. p. 156.

14) Brande in Schweigers Journal für Chemie und Phys. P. 16. p. 570 etc.

15) Emmert im Archiv für die Physiol. 4. Reil und Autenrieth. Bd. 8. H. 2. S. 145 etc.

16) Thomson Syst. de chimie. trad. par Riffault T. 4. p. 545.

§ 3.

De transitu rerum assumtarum in ductum thoracicum.

Est observatio ex longo tempore satis cognita, multa remedia, in ventriculum recepta, vel extrinsecus ulli parti applicata, odore, sapore, vel aliis virtutibus suis magis minusve in fluidis secretis sese manifestare. Sic odorem specificum edidit suum in lacte et ipso in caseo, ex eo parato, allium absorptum; rheum sese impertit sudori ac urinae; rubia tinctorum usu longiore colorat ossa etc. etc. ut taceam alia exempla, quae, ab Hallero narrata, novissime Albrechtus composuit ¹⁷⁾). Sed qua via in sanguinem organaque secretionis illae substantiae veniunt? Neminem fugit, varias exstare vias rationesque, quibus assumta res vim, qua pollet, manifestare possit! Sic multo quidem studio Albrechtus omnes de transitu remediorum in sanguinem observationes congregavit, functionem vero resorptionis vasis lacteis solis immerito attribuere solitus est. Nonne enim et venae resorptionis facultate gaudent? Quin venas praesertim mesaraicas huic functioni praeesse, infra videbimus! Singula igitur pericula inquirentes, quae sint transitus viae,

17) Albrechtus. *Commentatio in qua proponitur recensus eorum alimentorum et medicaminum, quibus, sive tubo alimentario sint ingesta, sive communibus corporis integumentis applicata, ingressus in systema vasorum sanguiferorum aut concessus a natura, aut negatus sit.* Goetting. 1806. 4.

inventuri sumus. Res autem, quibus ad ipsa usi sunt, colorantes sunt et odorae aliaeque, reagentibus chemicis inveniendae. Primum de pigmentis agamus.

§ 4.

De quibusdam pigmentis.

Chylus etsi semper insignis est colore lacteo, sunt tamen nonnulli, qui eum pigmentorum colore in adipisci, contendunt; imo et sine sumtis pigmentis coloratum eum invenere Brunner¹⁹⁾, Emmert²⁰⁾, et Vauquelinus²¹⁾.

Viridet²²⁾ vitello ovi absorpto chylum colore flavo infectum vidit; „in canis tamen, ait, dissectione vitellus ovi antea absorptus suo genuino colore in venis lacteis, quae tunc flavescebant, una vice mihi visus fuit, hoc periculo postea incassum pluries facto — quem colorem nunquam Hallerus²³⁾ invenire potuit.

Colore indico chylum coeruleum factum cognoscebant: W. Musgrave²⁴⁾, Birchius²⁵⁾,

18) Idem l. c.

19) Brunner exp. circa pancr.

20) Emmert a. a. O.

21) Vauquelin Annal. de chimie. T. 81. p. 114 etc.

22) Viridet l. c. p. 282.

23) Haller l. c. p. 63.

24) Musgrave. Birch. T. IV. p. 186. Phil. trans. n. 275. etiam inductu thor. Gould.

25) Birch T. IV. p. 89.

Gould²⁶⁾, Mart. Lister²⁷⁾, Hallerus²⁸⁾, Foelix²⁹⁾, idemque experimentum repetebat Blumenbachius illustris³⁰⁾, atque indicum inveniebat coeruleum suum chylo impertire colorem. Denique J. Hunter³¹⁾ chylum indico colore indutum vidit.

Mattei³²⁾ chylum a beta rubra rubefactum observavit; Hallerus³³⁾ autem nec rubrum unquam reperit pigmentum, eodemque teste, nec zinnabaris colorem chyli mutat.

Cruikshankius³⁴⁾ se apud animalia herbivora chylum viridem, dixit, vidiisse.

Quibus observationibus omnia fere obstant pericula recentiorum physiologorum, qui transitum rerum colorantium nunquam percipere potuerunt. Dumas³⁵⁾ chylum semper album, nec unquam pigmentis tinctum invenit, et, uti opinatur, quod vasa lactea propria vita, et propria sensibilitate gaudeant.

26) Gould l. c.

27) Lister. humor. c. 23. p. 220. aq. med. II. p. 95. phil. trans. n. 270. post frustranea tentamina tincturis in intestina injectis. Birch. T. I' I. p. 90.

28) Haller l. c. p. 62.

29) Foelix Exp. 8.

30) Blumenbach. Inst. phys. Ed. I. §. 426.

31) Hunter med. comm. I. p. 44. aqua imitatus est Kaakw n. 486. äere Barbeck apud J. M. Hofmann in v. Horne p. 104.

32) Mattei a beta rubra p. 49. „acrem etiam saporem ex syrupo florum persicorum animadvertisit.”

33) Haller l. c. p. 63.

34) Cruikshank anat. des vaiss. absorb. p. 205.

35) Dumas Princ. de Physiol. Ed. II. T. I. p. 485.

Hallé³⁶⁾ colorem rerum coerulearum, nigra-
rum et rubrarum, nunquam in chylo reperire po-
tuit. Eademque instituens experimenta Magendie
³⁷⁾, dedit animalibus quibusdam indicum, crocum
etc. etc., semperque chylum obtinuit, in quo nulla
rei absorptae in ipsum vis apparuit.

§ 5.

De transitu rerum odorarum.

Pericula de resorptione particularum odorarum
vasis lacteis, et de earum in chylo ductus thora-
cici praesentia, soli physiologi recentiores institue-
runt. Usi sunt praecique camphora, moscho, spi-
ritu vini aliisque Spirituosis.

Dumas³⁸⁾ animalibus substantias dedit colo-
rantes et odoras, et chylus semper albus, et ino-
dorus permansit, quasi haec animantia nihilo earum
pasta fuissent.

Magendie³⁹⁾ postquam canibus spiritum vini
aqua dilutum intruserat, hora dimidia interposita,
chylum in ductu thoracico nullum continere alco-
hol, perspexit, quamvis animal perfectem ejus odo-
rem exhalaverit, et per destillationem e sanguine
id ipse receperit. Eundem eventum habuit, dum

36) Hallé cité par Fourcroy *syst. de connoiss. chim.* T. 10. p. 66.

37) Magendie l. c. p. 156 et 157.

38) Dumas l. c.

39) Magendie l. c. p. 168.

aliis animalibus solutionem camphorae aliorumque fluidorum olentium praebuit.

J. Hunterus solum et Monro chyli odorem varium esse volunt. J. Hunter⁴⁰⁾ enim, abdomine asini vivi aperto, solutione moschi tubi intestinalis parti, duabus ligaturis distinctae, infusa, parva mora interposita, vas lymphaticum dissecuit, et effluentem cochleari excepit lympham, quae moschi odorem apprime referret; atque vasa lymphatica femoris una cum vena dissecta, diutius vero hiantia, moschi, quo in aqua soluto pes humectatus erat, odore fragrantem emittebant liquorem⁴¹⁾.

Monro quoque opinatur, res odoras in chylum susceptum iri; ubi camphoram in pulverem bene tritam aut oleo solutam, per horae unius dimidiaeque spatium, ranarum pedibus posticis applicuerat, quum, pedibus his abscissis abjectisque, abdomen insecurisset: nidor ascendebat camphoram referens; ac tam in spiritu vini, quam in aqua, quibus intestina erant immersa, lingua camphoram plane sapiebat⁴²⁾. Quod semper eadem ratione accidit, omnibus nervis cruralibus dissectis⁴³⁾; nunquam aorta, vena cava, vasisque lymphaticis filo con-

40) W. Hunter's med. comm. Vol. I. p. 47.

41) Autenrieth Handbuch der menschl. Physiol. P. II. p. 785.
p. 502.

42) Monro essays and observat. phys. and litter. etc. etc. V. 5.
p. 294 etc. et p. 352-353.

43) Idem 357.

44) idem p. 355. exp. III.

strictis ⁴⁴⁾). Cane autem vivo aperto, ductus thoracici, diligenter a partibus vicinis separati, medicisque perscissi, inferiorem partem in vase posuit. Quo peracto, et cani adhuc viventi camphorae solutione partim infricata, partim in abdominis cavum infusa, e parte ductus thoracici in vase posita lympha, camphorae saporem p^rae se ferens destillavit ⁴⁵⁾.

§ 6.

De substantiis quibusdam, solum reagentibus chemicis in chylo inveniendis.

A. De metallis.

Metalla tantum sic dicta oxydata hoc referuntur; primoque loco mihi ferrum commemorandum videtur. Hoc metallum caeteris majoris est momenti, partem enim maxime necessariam sanguinis constituit, ideoque nostra dignius attentione. Menghinus ⁴⁶⁾ primus experimenta egregia instituit de transitu ferri in sanguinem, invenitque ferri quantitatem in sanguine sese augere, si per aliquod tempus animal continuo ferrum voraverat. Similique in chylo ferrum se invenisse memorat. Saepissime vero in secretionibus ferrum extrinsecus adhi-

⁴⁵⁾ Reils Archiv für die Physiol. B. 2. St. 1. p. 145.

⁴⁶⁾ Menghin. de ferrear. particul. progressu in sanguin. Comm. Bon. acad. T. 2. P. 3. p. 475.

bitum, invenerunt Morin ⁴⁷⁾, Menghinus ⁴⁸⁾, J. Frank ⁴⁹⁾, cet., quin detexerunt idem in chylo; apud Hallerum quoque legimus, in chylum minime ferrum transire ⁵⁰⁾.

Nostris praecipue temporibus memoratu digna sunt, quae clariss. Wright ⁵¹⁾ et Meyerus ⁵²⁾ experimentis invenere. Ille enim, ubi vitrioli martis unciam unam et dimidiam cum pane lacteque mixtam, cani intruserat, hora interposita, quum eum obtruncasset, in lympha ex ductu thoracico emissa, gallarum turcicarum tincturae ope nullum ferri signum extricare potuit; huic ferri sic dictae substantiae grana quinque cum lacte mane et vesperi per octo dies ac hora una cum dimidia, antequam interficeret, propinanti, hepar sulphuris volatile, lymphae affusum, ejusque per ignem siccatio, itidem nil ferri obtulit. Chylus autem intestinis tenuibus contentus, istis instillatis reagentibus, statim nigrorem indicabat. His fultus experimentis uterque denegat, ferrum per vasa lymphatica sanguini admisceri. Quae cum ita sint, Autenriethius ⁵³⁾ ferri conjunctionem, qua in chylo tenetur, nostris reagentibus dissolvi posse, non arbitratur; ferrum

47) Morin hist. de l'acad. des scienc. à Paris. ann. 1701. p. 208.

48) I. c. p. 478.

49) J. Frank Cf. Brera.

50) Haller I. c. p. 63.

51) Wright phil. transact. 1758. Vol. L. P. II. n. 79. p. 594 etc.

52) Meyer in Reils Archiv für die Physiol. B. 4. St. 3. p. 508.

53) I. c. Theil 1. § 522. p. 524 - 526.

nempe se arctissimo vinculo conjungere, ait, cum alcali minerali, quae vero conjunctio dissociari nequeat, nisi aliquot guttulae acidi vegetabilis affundantur. Verum experimenta recentiora Autenriethii methodum non valde approbarunt. — Denique Albrechtus ⁵⁴⁾, ut tentaret, quatenus illius inventum verum sit, hocce instituit experimentum: Cani duas circiter drachmas ferri oxydulati nigri cum lacte pane albido praesulcit; et quum chylo, ex ductu thoracico aperto, acidi vini perparum instillasset, spiritum, sulphuris Beguni guttlatim affundebat, nullo nigrore animadverso. In intestinis autem tenuibus, nec tamen in crassis, conspexit illo spiritu solo adhibito, levem nigrum colorem, uti Meyero contigit. Nihilominus rationibus quibusdam affirmare conatus est, ferrum per vasa lactea ex rebus externis in sanguinem deferri, quod ex. gr. feminarum chlorosi languentium, genae pallidae post ferri usum celerrime rubore perfundantur etc.; his autem et aliis rationibus non recte, ferrum ipsa per vasa lactea sola in sanguinem transire, colligit. Fecit et novissime in ferro pericula Dupuytren ⁵⁵⁾, qui nulla ratione ferrum in chylo demonstrare potuit.

Progrediendum nunc ad alia quaedam metalla.

⁵⁴⁾ Albrecht l. c. p. 25.

⁵⁵⁾ V. Dictionnaire des sciences medic. Tome V. p. 180. „Dupuytren n'a pu, par aucun moyen, démontrer du fer dans le chyle.”

Licet mercurii, plumbi, aliorumque metallorum dotes in omnibus fere secretionibus, saepissime vero in sudore ac urina inventae sint, attamen nulla omnino exstant experimenta, quibus persuasum habeamus, haec metalla in chylo ductus thoracici conspici. Experimenta igitur nostra, quae infra exposituri sumus, sola enumeranda sunt.

B. De quibusdam aliis remediis.

Chylum, assumtis medicamentis, ex. gr. rheo, cali borussico etc. etc., soli recentiores physiologi scrutati sunt; veteres autem magis scrutinatione sanguinis occupati fuerunt; sic kali nitricum, quum per aliquod tempus abundanter assumptum sit, non solum in urina scrutanti occurrit, verum etiam in sanguine ipso detegitur⁵⁶⁾; attamen in lympham quoque id transire dicitur, quod ex eo colligi potest, quod vasa lymphatica pedis, nitri solutione immersi, tantam ejus quantitatem sugunt, ut lympha posthac emissa et exsiccata, si flaminam admoves, detonando nitrum prodat⁵⁷⁾.

Pergamus vero ad experimenta istius materiae propria.

Magendie⁵⁸⁾ cani dedit rhei uncias quatuor, et, hora interposita dimidia, ductum aperuit thoracicum chylumque scrutatus, nec ullum rhei signum

56) Berzelius in Gehlens neuen Journal der Chemie. Band 4.
St. 2. p. 122.

57) Autenrieth am angef. O. Th. II. §. 783. p. 302.

58) Magendie l. c. P. II. p. 182. cap. I.

extricare potuit, licet in urina, affusa kali solutione, id perfecte sese manifestaret. Nec in chylo kali ferroso-borussicum reperit horae quadrante interposito, postquam cani intruserat, licet urina quoque id possideret⁵⁹⁾. Canis porro ductu thoracico subligato, ei intrusit uncias duas decocti nucis vomicae — veneni his animalibus. — Mortuus est canis eodem brevi tempore, quo haud ligato ductu thoracico mortuus esset⁶⁰⁾. Eodem modo canis ductum thoracicum ligavit, cui unciae duae ejusdem decocti in intestinum rectum injectae fuerunt: exitus idem, uti haud ligato ductu, animal enim eodem tempore obiit⁶¹⁾.

Fecit incisionem in abdominis parietibus alias canis, quum septem horis antea, magna quantitate carnis pastus fuisse; extracta tum ansa intestini tenuis, eam in certa distantia bis ligavit. Pars extracta intestinalis tubi nulla amplius communicatione cum caetero corpore gaudebat, perscisis lymphaticis et caeteris vasis, exceptis solis arteria venaque mesenterica. Injectis tum in cavitatem ansae intestinalis unciis duabus decocti nucis vomicae, illam in cavum abdominis reposuit.

Hora praeterlapsed et sex minutis, veneni effectus conspecti sunt vi, qua pollet consueta, ita igitur velut intestinis intactis⁶²⁾. Quibus periculis

59) Idem cap. II.

60) Idem cap. IV.

61) Idem cap. V.

62) Magendie I. c. cap. 6.

repetitis, semper ei fuit idem eventus, ut denique ita argumentetur, vasa lymphatica non sola esse in resorptione agentia, dubiumque saltem esse, quin in alias quoque substantias, quam chylum, resorptionem exerceant. Alimenta denique nonnisi certis rationibus in chylum transire, confirmat⁶³⁾.

§ 7.

Tantum de experimentis. Videamus quid veri insit uni aut alteri sententiae! reliquum est, ut de chyli analysi chemica mentionem injiciamus Clarissimus Gmelinus, quem tam benignus esset, ut equi chylum artis chemicae ope investigaret, analysin primo secundum Emmertum aliosque, posteaque secundum illum indicare optimum duxi.

§ 8.

De chyli analysi chemica.

Emmerto⁶⁴⁾ auctore chylus fluidum est colore lactis, flavo seu subflavo glauco, pondere specifico majore, aqua; sapore salso⁶⁵⁾ et odore semi-nis virilis. Aëris atmosphaerici contactu et aquae,

65) Idem. p. 185.

64) Emmert in Reils und Autenrieths Archiv für die Physiol. B. 8. S. 2. S. 145 etc.

65) Huc porro: gratus fuit sapor — Moebius inst. p. 194. Subducis — Slare on sugar p. 54. dulcis in ductu thoracico — Leidenfrost de affect. rariss. Grati saporis — Bass. subsalsus — Bass. Lower p. 257. Barthol. Cent. II. Epist. 39. Brunner exp. circa pancr. p. 21. nitrosus, subamarus — Moebius p. 194.

via quoque mechanica, chylus, velut sanguis, in tres dilabitur partes, similes sero, parti fibrosae et cruori. Pars serosa, ut serum sanguinis, multum continet aquae, natri aliquid caustici, albumen, ferrum phosphoricum et gelatinam. Pars fibrosa ut illa sanguinis sese habet. Pars cruori respondens, albumine, gelatina ferroque phosphorico gaudet. Discrepat a sanguine chylus gradu coagulationis minore ferri oxydatione, et quantitate partium coagulabilium. Plane a laete chylum differre, dicit.
⁶⁶⁾ Est varius in variis locis systematis resorben-
tis chylus, ita, ut plures appropinquationis ad san-
guinem gradus permeare videatur; sic in vasorum
lymphaticorum radicibus aequale pene fluidum est
colore lactis; in ramis majoribus et in parte ductus
thoracici inferiore, chylus subalbido-flavus appa-
ret, aëris adventu subrubicundus evadens; in parte
superiore ductus thoracici subflavo-cinereus est,
et aëri expositus, similem illi sanguinis arteriosi
colorem sumit.

§ 9.

His fere conveniunt periculis ea Vauquelinis ⁶⁷⁾,
quibus patet, chylum e vasis lymphaticis sumtum,
in partem fluidiorem discerni et alteram coagulabi-
lem, quae ultima pars e ductu thoracico sumta,

⁶⁶⁾ Emmert l. c.

⁶⁷⁾ Vauquelin analyse du chyle du cheval. Ann. de chim. T. 81.
p. 114. seqq.

aëris contactu colorem suum in rubicundum mutat. Pars liquida solum fere continet albumen (generatim chyli maximam partem efficiens) et alcalina gaudet natura; pars coagulata parti fibrosae sanguinis similis. In chyli usti cineribus auctor inventit kali carbonicum, muriaticum et sulphuricum, ferrum et calcem phosphoricam. Nullam vero memorat gelatinam Vauquelinus, sed gelatipae loco in parte liquida chyli materiem enumerat, quam adipis speciem credit.

§ 10.

Brande⁶⁸⁾ chylum animalium mammalium scrutatus, ei virtutes sequentes attribuit:

- a. Mixtus sanguine chylus carens pelluciditate plane albus est et inodorus, paululum salsus et subdulcis.
- b. Color tincturae heliotropii non eo mutatur, succus autem violarum in colorem viridem sensim transit.
- c. Pondere gaudet specifico majore, aqua; sed minore, sanguine.
- d. Decem fere minutis, postquam e ductu thoracico effluxit, coagulat, et viginti quatuor fere horis interpositis, duas in partes discernuntur, quarum una concretior — crassamentum, altera — fluidum sistit incoloratum, pellucidum

68. Brande im Journal für Chemie und Phys. v. Schweiger, T. 16. p. 370.

et priorem partem circumdans. Pars concreta caseo lactis similior est, quam parti fibrosae sanguinis.

I. *Ratio chemica partis concretae.*

- a. Pars concreta alcali caustico et carbonico subito solvitur, ex qua solutione omnium vi acidorum substantia, medium inter pinguedinem et albumen tenens, secernitur.
- b. Nec alcohol nec aether partem chyli concretam mutat; praecipitati autem, ope acidi in solutione alkalina effecti, partem parvam spermatis ceti natura praeditam solvunt, relicto albuminæ coagulato.
- c. Crassamenti chyli destillatione multum aquæ recepit auctor, ammonio carbonico paululum imprægnatae; parum porro olei crassi et olen-tis, acidum carbonicum et gas hydrogenium carbonatum. Carbo in vase retorto restans, difficiliter comburendus, multum natri muriatrici, calcem phosphoricam et parvum ferri signum continet.

II. *Ratio chemica partis serosæ.*

- a. Calefacta, paululum turbatur, floccos albuminis deponens.
- b. Quo facto praecipitato, fluidoque temperatura gradus 200 F. haud superante, evaporato usque ad dimidium, refrigerando parvi sese

formant crystalli, cum saccharo lactis multa similitudine gaudentes⁶⁹⁾.

- c. Destillatio partis serosae parvam reddit quantitatem carbonis, vestigia calcis phosphoricae, natron muriaticum et carbonicum.

§ 11.

Fecit in canibus denique experimenta Marcket⁷⁰⁾, ut cognosceret, an varietas insignis sese manifestaret chemica inter chylum duorum animantium unius speciei, quorum nempe unum alimenta sola animalia, alterum nonnisi vegetabilia sumserat. Invenit sequentia:

- a. Ponderus specificum seri chyli inter 1021 — et 1022 ponendum esse videtur, sive sit e cibis regni animalis seu ex eis vegetabilis chylus.
- b. Quantitas partium solidarum, et animalium et salsarum, quae restant post evaporationem seri aestu coctionis, 50—90 in 1000 partibus aestimari potest.
- c. Salum quantitas circiter 9 in 1000 confidere videtur.
- d. Chylus in alimentis regni vegetabilis ortus destillatus, tertio plus carbonis, quam ille ex nutrimento animali, praebet.

69) I. c. Den Milchzucker leugnet Berzelius. Siehe Fortschritte der thier. Chemie, übersetzt von Sigwart und Emmert a. a. O.

70) Marcket. Annales de Chimie et de Phys. T. II. p. 42 etc.

- e. Chylus ex alimento animali ad putredinem magis inclinat — quum plerunque tribus aut quatuor post diebus in eam transeat, — quam ille e rebus regni plantarum, qui per hebdomadas ipsosque menses sine aliqua immutatione conservari potest.
- f. Crassamentum chyli prius putrescit, quam pars serosa.
- g. Chylus e cibis animalibus lacteus est, ejusque in superficie, si quiescat, substantia alba, cremori similis apparet; crassamentum rubicundum et ferme Dianthi colore; caret pelluciditate.
- h. Chylus e rebus vegetabilibus plerumque pellucidus; crassamentum haud coloratum; illaque supra dicta materia, cremori similis, in superficie non oritur.
- i. Pars primaria materiae animalis in chylo albumen est, continet insuper globulos e substantiis praesertim animalibus formatos, ex materia oleosa, cremori simillima.
- k) E chylo primum destillatione fluidum, ammonio carbonicum gravidum, elicetur; tum oleum grave fixum, quae ambo majore in quantitate chylus e nutrimento animali praebet. Residuo vero carbonis non tantum inest, quantum chylo e rebus vegetabilibus. Facillime in carbone ferrum atque sales detegi possunt.
- l. Gelatina nec chylus, nec chymus fruitur.

§ 12.

Quibus maximi momenti periculis ita designatis, delectum virtutum essentialium chyli non injusto loco hic positum arbitror. Corollaria autem sunt:

- a) Chylo albuminis multum inest. b. Substantia in chylo invenitur, parti fibrosae sanguinis simillima, praesertim post usum carnis, testante Magendie ⁷¹⁾, minus sumtis rebus vegetabilibus.
- c. Gaudet chylus, testibus Vauquelino ⁷²⁾ et Marcet, ⁷³⁾ materia cremori et pinguedini simillima, quam simul quoque Magendie ⁷⁴⁾ advertebat solo tamen in chylo animalium, quae cibis pinguibus, et animalibus et vegetabilibus pasta fuerant.
- d. Pars chyli aquosa illi sanguinis congruit.
- e. Chylus in systemate lymphatico, sanguini sensim adsimilatur, non tantum coloris appropinquatione, sed etiam globulorum formatione.
- f. Chylum si microscopio videamus, globulis minimis, iis aliorum fluidorum similibus, constructum esse observaturi sumus. ⁷⁵⁾. Attamen eorum diametri minores, illis sanguinis, dicuntur.

71) Magendie l. c. p. 157.

72) Vauquelin l. c.

73) Marcet. l. c. p. 73.

74) Magendie l. c. p. 157.

65) Asch de natura spermatis.

g. Chylo jam aliquid ferri inest ⁷⁶⁾.

h. Sales chyli iisdem seri sanguinis similis sunt.

§ 13.

De lympha.

Plerique physiologi lympham putant fluidum, per vasa lymphatica a variis tunicis mucocis, serosis et synovialibus, e tela cellulari et denique ipso ex parenchymate cujusque organi resorptum et effusum in ductum thoracicum. Varie sese habet lympha variis in vasis lymphaticis, et, teste Soemmerringo, lympha e vasis lymphaticis pedis cuiusdam mulieris pellucida, colore paululum flavo, et sapore subsalso induta fuit. Hewson et Mascagni lympham, aëri expositam, coagulatam in partes duas discerni observarant, unam sero simillimam, alteram spissiorem in medio natantem. Caeterum lymphae analysin nobis reddunt accuratiorem Emmert, Brande et Magendie.

I. Emmert ⁷⁷⁾ fluidum e magno vase lymphatico plexus lumbalis equi sumtum, tenui, perspicuum pellucidum, e flavo subviridem in colorem abiens, et sine odore specifico invenit, sapore autem simili illi seri sanguinis. Quindecim aut viginti minutis post aëre coagulata abiit lympha in materiam

76) Contra E. Wright et Meyer. Cf. p. 8.

77) Emmert in Reils Archiv. B. 8. p. 156.

claram et trementem, ex qua quatiendo pars liquida subflava decussa fuit, in qua natavit coagulum. Consistit e sero et materia fibrosa quadam; differt a chylo minore albuminis quantitate, tarda coagulatione, nulla in rubrum mutatione et defectu globularum.

II. Brande ⁷⁸⁾ fluidum in ductu thoracico contentum, postquam animal viginti quatuor horas jejunaverat, scrutatus invenit plane pellucidum et non coloratum esse, nec diversum a lympha vasorum lymphaticorum. Rationes, quibus gaudebat lympha, sequentes erant:

- a. Aqua miscebatur.
- b. Nec acida nec alcalina sese praebebat indole praeditam.
- c. Non plane calore, acidis aut alcohole coagulata tamen, paulisper in turbidum transibat.
- d. Evaporata lympha, residuum apparuit parvum, syrupi violarum colorem in viridem mutans.
- e. Combusta lympha, in residuo natri parum muriatici, non ullum vero ferri vestigium inveniendum erat.
- f. Lympham quum electro-chemica via scrutatus esset, in polo negativo substantias alcalinas atque praecipitatum albuminis coagulati; in polo positivo autem nonnisi acidum muriaticum animadvertis.

III. Magendie⁷⁹⁾ lymphae pondus specificum ad idem aquae destillatae memorat :: 1022, 28: 1000,00. Auctore Chevreul⁸⁰⁾ lympha canis in partibus 1000 continet: aquae 926, 4 materiae fibrinae 004, 2. albuminis 061, 0. natri muriatici 006, 1. natri carbonici 001, 8. Calcis phosphoricae, magnesiae phosphoricae et calcis carbonicae 000, 5.

§ 14.

En ergo, perparum nobis esse experimentorum, quae vasorum lymphaticorum functionem illustrare possint! Argumentamur et colligimus, natura et experientia haud consultis, quibus tamen nil certius, nil firmius!

79) Magendie l. c. p. 172.

80) Cf. Magendie l. c. p. 172.

P A R S S E C U N D A.

SISTENS EXPERIMENTA A NOBIS INSTITUTA.

§ 15.

Ad instituenda pericula plerumque canibus, semel etiam equo usus sum, et, ducentibus viris perillustribus, Tiedemanno et Gmelino, in investigatione ductus thoracici atque analysi chemica, maxima cum attentione et diligentia haec pericula facta fuisse arbitror. Res datae erant: metalla - ferrum, plumbum, mercurius; medicamenta odora - camphora, moschus, asa foedita; remedia colorantia - indicum, rheum, rubia tinctorum, alcanna; tandem et Kali borussicum et amyrum. Temporis angustiae et necessitas praesertim, ob vomitum cani iis, quae sumserat, excitatum, pericula saepissime prolatandi - nobis nonnisi pauca tentare experimenta concesserunt. Quibus paucis autem periculis tamen superiora correcta esse, spem non depono.

§ 15.

Exp. 1. Cani parvo, duos circiter annos nato, postquam viginti quatuor per horas cibo abstinebat, tempore matutino, hora undecima drachmam unam indici praebui cum juris carnis libra una et

aliquo pane. Duabus horis interpositis, camphorae grana sex cum jusculo e carne paneque devoravit. Hora tertia pomeridiana necatus fuit sectione medullae spinalis in regione cervicis.

Thorace aperto ductuque thoracico ligato, hic incisus effudit praesilientem chylum lacte spissorem et colore lacteo praeditum, qui dum ad aëris contactum coagulabatur, in duas partes, alteram liquidam, alteram solidam vix rubescensem descendebat. — Chylus nec odore camphorae nec colore indico gaudebat. Pars serosa chyli tincturam heliotropii non mutavit, acida ergo natura praedita non fuit; nec vix alcalina, cum colorem rubrum tincturae alcannae haud notabiliter in coeruleum verteret. Ductus thoracicus paullo post repletus et denuo apertus, longe rariorem coeruleo-albo colore indutum chylum effudit, qui ad aëris contactum non amplius tam cito coagulatus, caeterum virtutes non dissimiles conspiciendas praebuit. Interea sanguinem e variis venis collectum, scrutati invenimus nullum camphorae odorem; strias autem albidas, chylo non dissimiles, in sanguine lienalis venae et portarum.

Contenta in ventriculo et toto tubo intestinali, indico tincta fuerunt. Camphora odorem suum maxime in ventriculo, minus in duodeno, et non amplius in inferiore parte intestini tenuis sparsit;

Succus gastricus, solo minore gradu et ille intestini caeci, tincturae heliotropii colorem in rubrum mutabant, non vero is duodeni.

§ 17.

Exp. 2. Cani, qui octodecim per horas jejunarat, hora septima matutina drachmam semis rubiae tinctorum cum juscule carnis dedimus; postea vero camphorae grana duo, et ferri oxydatis muriatici grana tria forma boli e carne et pane parati. Quae dosis hora decima ac duodecima reperita fuit. Hora tertia pomeridiana laqueo strangulatus obiit, et peractis caeteris ut in experimento primo, exsiliit contractilitate ductus thoracici ex eo chylus colore lacteo, non odore gaudens camphorae nec rubiae colore (quum addita kali solutione, colorem rubicundum nullum adeptus sit). Chyli mox duas in partes, ut supra dictum, diapsi, pars serosa addita tinctura alcannae indolem suam alcalinam paululum manifestavit.

Ut detegeremus ferrum in chylo, ammonio hydrothionico eum miscuimus, sine ullo praecipitato nigrescente obtinendo. Neque ferrum cognoscere libuit, quum in chyli alteram portionem, acido nitrico primo coctam, tum ammonio fere neutralisatam, tincturae gallarum guttas aliquas intulimus. Tuni denique coagulum chyli acido nitrico decoctum, ad siccitatem evaporatum et aqua destillata

superfusum, nec addita tinctura gallarum nec affuso ammonio hydrothionico, ferri signum manifestavit. Pariter sanguinem tractantes praecipitatum nigrum quidem invenimus; attamen utrum originem suam habeat a ferro resorpto, an fortasse magis a ferro in sanguine semper praesente, certo dijudicandum non fuit. Maximum autem praecipitatum praebuit sanguis e vena lienali et mesaraica. Sanguis venarum intestinalium nullum camphorae odorem edidit; striae autem albidae chylosae in sanguine venae lienalis et portarum conspiciebantur. — Camphoram solummodo in ventriculo et duodeno animadvertisimus. Contenta rubiae colore totum per tubum intestinalem tincta, addito ammonio hydrothionico, atro tingebantur colore usque ad intestinum caecum. — Succus gastricus et entericus sese habuit ut in exp. I.

§ 18.

Exp. 3. Canem parvum, qui duodecim horas cibo abstinuerat, pascebamus hora matutina quinta, tum septima, nona et undecima, decocto rubiae tinctorum juscule carnis mixto, et bolo e vitriolo martis, pane et carne parato; ita ut rubiae uncias octo, martisque vitrioli scrupulos octo paulatim sumeret. Tum denique per tres horas, autequam necaretur, drachmas circiter duas asae foetidae cum lacte et pane albido sic ei praebui, ut parvas, sed saepissime repetitas, portiones deglutiret. Quo

facto eum, antea laqueo strangulatum, dissecuimus, et ducta thoracico tum cura ligato et inciso, chylum colore lacteo praeditum, at sine odore asae foetidae praesilientem excepimus. Subito sese vacuam redditit pars supra ligaturam ductus thoracici, qui mox collapsus fuit. Tum quoque ex inferiore parte chylum vidimus nec odore asae foetidae, nec colore rubro gaudentem. Chyli portionem acido nitrico infusam et decoctam et evaparatam, superfusa denique aqua destillata, miscuimus tinctura gallarum, sed nec illa, nec addito ammonio hydrothionico ferrum detegere potuimus. Barytes muriatica in chylo floccos praecipitavit fuscos, verisimiliter e barytae conjunctione cum acido sulphurico ortos. — Nec unius venae aut arteriae sanguis asae edidit odorem foetidae; serum (a cruento non penitus liberatum) sanguinis e vena portarum et lienali, multas continentis strias chylosas, pariter ut chylus tractatum, ferrum quidem praebuit, cum vero in quovis sanguine inveniatur, an ab absorpto ferrum originem ducat, persuasum non habuimus. Verisimile autem est, ferri aliquid in sanguinem transiisse, quia in sanguine venae lienalis et portarum plus ferri invenimus, quam in pari quantitate sanguinis caeterarum venarum. Contenta tractus intestinalis colore rubiae tincta, odorem asae foetidae usque ad intestinum caecum dispergebant; ferrumque per totum tubum detegendum fuit. — Succus gastricus et ille intestini caeci colorem tincturae heliotropii rubrum reddidere, non

autem ille duodeni, et paululum modo succus entericus jejuni et ilei.

§ 19.

Exp. 4. Cani permagno, praeterito die jejunanti, inferebam ex hora matutina sexta usque ad horam secundam post meridiem, temporibus interpositis, unciam unam infusi rhei, et sacchari saturni grana octo cum lacte et pane omnibus horis duabus, ita ut summatim rhei uncias sex, plumbique acetici grana quadraginta cepisset. Hora sequente laqueo strangulatus fuit. — Aperto ductu thoracico exsilebat chylus colore lacteo insignis; ad explorandam rhei praesentiam chylo guttatum kali affuso, color ruber minime nasciebatur, rheum igitur non aderat; nec plumbum, quum addito ammonio hydrothionico chylus floccos nigros haud dimitteret. Chylo in carbonem verso, eoque operi nitri decomposito, residuum aqua destillata solutum, acido muriatico supersaturatum et percolatum, nullum, adhibito ammonio hydrothionico, plumbum ostendit. — Serum chyli leviter sese alcalinum praebuit. — Sanguis venae lienalis et portarum multas continuit strias chylosas. — In sanguine venae lienalis et portarum, mesenterii hepatisque, eadem ratione, qua chylus, tractato, plumbum forma floccorum fusco-nigrorum sese manifestavit. — Urina, instillato kali, colorem adopta est e flavo in fusco-rubrum abeuntem, quo rhei praesentia

probatur. Plumbum autem detegi nequiit. Succus gastricus acidum se praebuit, minus succus duodenii et intestini tenuis, magis contra ille intestini caeci. — Contenta colore flavo tineta per totum tractum intestinalem, affuso acido hydrothionico, celerrime plumbum sulphuricum dimittebant.

§ 20.

Exp. 5. Cani, postquam viginti per horas nihil pastus fuerat, intrusimus hora matutina decima et duodecima bolum e saccharo saturni, pane et lacte paratum, ita ut plumbi grana quinquaginta acceperit. Nulla affecti abdominis symptomata apparebant. Semihora, antequam necaretur, (hora tercia pomeridiana) rhei infusi adhuc uncias tres cum lactis circiter libra dimidia accepit. Evomuit paullo post parvam sumti quantitatem. — Cani necato et thorace aperto, e ductu thoracico ligato et inciso chylus exsiliēbat colore lacteo et odore animali; additum kali nullam coloris mutationem efficiebat. — Serum chyli naturam vix alcalinam ostendit. — Chylus ut in exp. 4 tractatus, plumbum sulphuratum non dimisit. In venae lienalis et portarum sanguine striae albidae conspiciebantur. Serum sanguinis affuso kali colorem suum paullulum mutavit; ruboris autem gratia rhei praesentia non certo apparuit (quia fere adhuc paullulum crux ris admixtum erat). Sanguis exsiccatus et in

carbonem redactus, kali nitrico detonatus, superfusus deinde aqua destillata et acido muriatico, — addito ammonico hydrothionico praecipitatum posuit flavo-fuseum, verisimiliter plumbum et sulphur tenens. — Eundem nobis venae hepaticae et mesaraicae sanguis eventum praebuit, non autem venae cavae inferioris et vasorum caeterorum. — Urinae rheum inesse, investigatio, ut in exp. 4 instituta, docuit. — Succus gastricus et entericus ut in exp. 4. Contenta tractus intestinalis luteo colore tincta; plumbum toto in canali alimentario praesens.

§ 21.

Exp 6. Equo, aetate proiecta et caeco, sed magno fortique, postquam viginti quatuor per horas esurierat, uncias quatuor plumbi acetici cum pulte e furfure et aqua parata, hora undecima matutina obtulimus. Parum lambens mox abstitit. Alio ergo modo metallum ei afferre coacti, eandem plumbi quantitatem aqua mixtam ei intrusimus. Duabus horis interpositis, quatuor circiter unicae tinturae alcannae, quibus camphorae uncia dimidia soluta erat, ei ingestae fuerant. Nulla apparebant veneni symptomata, ultima sola dosi equi calor augeri videbatur. Dissecta medulla oblonga, subito obiit. — Thorace aperto, ductuque thoracico ligato et inciso, magna chyli copia ex superiore parte ducus thoracici colore subrubicundo-flavo, et sine

odore camphorae exsilibat. Chylus ex inferiore ductus thoracici parte magis peilucidus, lymphaeque similior fuit. Kali additum chylum coeruleum non redditit, alcanna igitur haud transierat; si nul ammonium hydrothionicum instillantes nullum plumbi praecipitatum vidimus. Serum chyli vix alcalinam sese praebuit. Portio chyli in catino platinæ ad siccitatem evaporata et in carbonem conversa detonatione cum nitro a partibus organicis privabatur; residuum salinum aqua solutum et acido muriatico, (quo plumbum, si adesset, solveretur), supersaturatum, in testa platinæ, ad expellendum acidum nitri non decompositum (quod sulphur acidi hydrothionici praecipitasset) usque ad siccitatem fere in vapores mutabatur, tandem, quod remanserat, aqua solutum et colatum gase hydrothionico saturabatur, quod floccos fusco-nigros copiosos praecipitabat. Timentes vero, ne platinæ aliquid acido muriatico, quamvis diluto, solutum, praecipitato in esset, praecipitatum in colo collectum tubi ferruminatorii ope indagavimus, et reapse, platinam solam, non vero plumbum inesse, animadvertisimus. Periculum igitur idem in catino terreo testaque porcellanea repetentes, nec in chylo nec in sanguine plumbum invenimus. Nullius va- sis sanguis odorem camphorae sparsit, atque color alcannæ nusquam detegi potuit. — Succus gastricus et entericus sese habuit ut in praegressis periculis. Contenta per totum tractum intestinalem

plumbo, camphorae autem odore et colore alacrae solum fere usque ad intestinum caecum gaudebant.

Observationes quaedam, huc quidem non pertinentes, sunt:

- a. Augetur motus peristalticus, praecipue in ventriculo, irritato nervo vago, mechanica aut chemica via.
- b. Oritur contractio vehemens funiculi spermatici alcoholē madefacti.
- c. Lympha e trunco lymphatico plexus lumbalis magna vi exsiliens, horis quibusdam praeterlapsis, in partes duas, alteram sero, alteram crassamento similem, dilabitur.

§ 22.

Exp. 7. Cani parvo, post jejunium viginti per horas, infudimus drachmas tres kali-ferroso-borussici in aqua soluti. Mox sormirè coepit, sine aliis tamen symptomatibus. Sequi hora postea, ictu in caput occisus fuit. — Thorace aperto, e ductu thoracico exsiliebat chylus colore lacteo et odore animali, pellucidior tamen erat illo periculorum praecedentium. Ad inveniendum kali ferroso-borassicum, ferrum oxydatum muriaticum addidimus, et ecce! instillatis guttis nonnullis, chylus colorē albidum suum in pallide-coeruleum mutans, kali ferroso-borussici præsentiam manifestissime

praebuit. Neque serum indolem suam subalcalinam negavit. Eodem modo detectum fuit sumta substantia in sanguine venae lienalis, portarum, mesaraicae et solum minus distincte in sanguine venae cavae inferioris; porro in fluidis secretis ut in urina, bile, liquore pericardii, non autem in humoribus oculi. Quae substantia ergo celerrime in chylum, viasque secundas transierat. — Kali ferroso-borussici signa in tractu intestinali usque ad intestinum caecum inveniebantur. — Suceus gastricus et entericus ut in experimentis supra dictis sese habuit; sic irritatio nervi vagi quoque ventriculi motum peristalticum auxit.

§ 23.

Exp. 8. Cani parvo lactanti, decocti amyli uncias duas cum pane ita praebui, ut sensim tantum aliquid sumserit. Tum vero mercurii acetici oxydulati fere drachmas tres semisque ei intrusi in bolo panis; et hora ante, quam necaretur, moschi grana septem. Ter vomens nonnisi partem amyli et mercuri ultimam datam retinuit; moshus autem sedante sua vi ventriculum irritatum iterum restituisse visus est — Laqueo strangulati thorace illico aperto, ex ligato incisoque ductu thoracico exsiliebat chylus colore pallido, lymphae simili, et sine odore moschi. Serum chyli naturam alcalinam parum conspicue indicabat. — Ad inveniendum amyllum jodina usi sumus, chylus autem

jodina addita omnino non mutatus fuit. Neque hydrargyrum detegere potuimus addito acido hydrothionico.

Sanguis venae lienalis, portarum, cavae inferioris etc. etc. nullum moschi odorem edidit, quamvis idem toto fere in corpore sparsus esset. Serum sanguinis e vena lienali venaque portarum striis albidis chylosis tecti, addita jodina colore coeruleo non tingebatur, nec acido hydrothionico mercurium sulphuratum deponebat. Nunc adhuc inquirendum erat, an fortasse amyllum in primis viis in saccharum jamjam mutatum fuisset; miscuimus igitur sanguinem faece cerevisiae, ad investigandum, num fermentatione producta gas carbonicum produceretur. Cum vero acidum carbonicum in faece adhuc esse, aut in ea ipsa fortasse formari potuisset, partem faecis sanguine mixtam, partemque aequalem faecis solius vitro separato infundere optimum duximus. Vitra tunc jungabantur tubo vitreo recubato in campanam mercurio repletam ducente. Ex ambobus autem vasis evoluta fuit quantitas aequalis aëris carbonici, sic ergo nec sub forma sacchari amyllum in chylo adfuit. Certe vero nimio vomitu canis maximam partem amyli amisit, et amyllum sub forma sacchari in vias secundas transire posse, attamen valde verisimile mihi videtur. — Nullo in secreto data remedia invenimus. — Contenta modo per pauca, amyllum usque ad caecum continebant; odorem moschi us-

que ad ileum, et mercurium totum per tractum alimentarium inveniebam. — Succus gastricus caet. ut in prioribus experimentis.

§ 24.

Ezp. 9. Cani dedimus spiritus terebinthinae unciam unam. Peractis ut in periculis caeteris, nullum in chylo ductus thoracici terebinthinae odorem invenimus. Urina vero ejus transitum manifestabat odore violarum jucundo. In aliis secretis nil terebinthinae inveniri potuit.

Ut cognosceremus, quanta esset in chylum vis aëris, varia implevimus vascula vitrea aëre carbonico, oxygenio et aëre hydrothionico, singulaque hermetice occlusimus. Vitro aëris pleno paululum aperto parum instillantes chyli, mox vidimus in vasculo aëre oxygenio impleto chylum erubescere citoque coagulari; gas carbonicum nullam exseruit vim in chylum, neque enim rubuit neque coagulatus est. Gas hydrothionicum chylum turbidum et subviridem reddidit, simulque nonnisi decem sexagesimis post chylus coagulatus est. Quantitas chyli minor fuit, quam ut reagentibus in ferrum uti potuerimus, color autem viridis ferri fortasse praesentiam in chylo jam probare potest. — Succus gastricus caet. ut in omnibus periculis dictis.

§ 25.

Restat, ut his nostris experimentis chyli lymphae que analysin chemicam, a celeberrimo Gme-

lino institutam, addam. Usus est, ad eam perficiendam lympha chyloque ejusdem equi, in quo periculum sextum fecimus. Notandum vero, hujus equi, cum per viginti quatuor horas pastu caruerit (excepta furfuris exigua copia), chylum e ductu thoracico receptum, magna lymphae quantitate sine dubio mixtum fuisse.

Lympha equi e plexu lumbali.

Colore subrubro; lympha fere pellucida, post viginti circiter sexagesimas minutas coagulata.

A. Coagulum.

Colore coccineo, magis magisque sese contrahens, ita ut in infundibulo tecto, ex quo serum diffluere potuerat, quatuordecim per horas sibi ipsi permisum, de lymphae granis 205, tria adhuc restarent.

Haec grana tria coaguli humidi, longiore exsiccatione in balneo aquae, granum dimidium materiae fuscae, marginibus pellucidae et elasticae praebent.

Coagulum siccum in platinae cochleari calefactum, crepitando et inflammmando intumescit in carbonem valde voluminosum, cineris liquefacti perparum relinquente.

Cineris pars aqua solubilis, argentum nitricum copiose praecipitat, non vero platinam et barytam muriaticam.

Pars cineris aqua non solubilis, acido nitrico soluta fluidum reddit, quod, ob quantitatem fortasse nimis parvam, non ammoniaco, sed sale acetossellae turbatur.

Chylus equi e ductu thoracico.

Colore e subrubro in flavum abeunte; turbidus chylus decem sexagesimis post coagulans.

A. Coagulum.

Idem coagulum ex granis 645 chyli, grana duodecim pendit.

Pari modo chylus; et coaguli quidem supra dicta grana duodecim, sicci praebent gr. 2, 75.

} eodem modo chylus.

Pars cineris aqua solubilis colorem chartae heliotropio tinctae et acido quodam rubefactae, in coeruleum mutat; et etiam supersaturata acido nitrico, argentum nitricum, non barytam muriaticam, praecipitat.

Pars cineris aqua non solubilis, acido nitrico soluta, fluidum praebet, quod, ammoniaco mixtum, parvos emittens floccos pellucidos, post sale acetosellae copiose turbatur.

*L y m p h a.**B. Serum.*

Luteum est et clarum.

Praecipitata praebet albida, copiosa, additis acido muriatico et solutione mercurii sublimati; affuso acido nitrico in massam albam opacam, gelatiu-
sam plane congelat.

Seri grana 175 balneo aquoso evaporantur, mem-
brana subflava serum obducitur, congelatque po-
stea in massam cacosain, ex qua, eum versetur,
fluidum aquosum exsudat. Exsiccatione peracta,
grana $6\frac{1}{2}$ restant materiae luteae, pellucidae, fa-
cillime friabilis. Quae grana $6\frac{1}{2}$ seri exsiccati cum
spiritu vini 36° Blaumé excoquuntur. Fluidum non
tinctum, percolatum, evaporatione et excalfactione
ad 100° C. gr. $1\frac{1}{4}$ praebet materiae pallido — luteae,
non crystallinae.

Extractum vinosum aqua solutum, reddit solu-
tionem aliquantum fere limpidam.

*Chyli s.**B. Serum.*

Sub rubicundo — flavum et valde turbidum, non tamen gaudet cremore.

Pari modo chyli serum.

Coagulatio solum acido nitrico tam insignis non est.

Idem. Seri quantitas grana 491 continet.

residui, apud 100°, exsiccati restant grana

23

Idem. Fluidum clarum, luteum, percolatum, parum turbatur et refrigeratione et addita aqua; durante evaporatione nonnullis guttis pinquediniis tectum conspicitur; siccatum apud 100°, materiam praebet luteam, pondere $4\frac{1}{4}$ gr. cuius maximam partem cubi efficiente natro muriatico consistentes, vitro lenticutari agnoscendi.

Extractum vinosum aqua solutum, solutionem reddit turbidam, frigore non optime percolandam, dum calore simul materie turbans transit; secernitur ille longiore evaporatione, forma gutterum pinguis fuscarum et tenacium, quae Chartae aliatae, ei impertiunt pelluciditatem, etiam longiore excalfactione permanentem, et magis calefactae pinguis odorem spargant.

L y m p h a.

Solutionis reactio alcalina vix observanda est;
odore glutinis praedita,
tinctura gallarum subflavis, albidis floccis crebro
praecipitatur;
acido nitrico non turbatur.

Pars extracti spirituosi in platinae cochleari
comburitur, odorem glutinis usti spargens.

Restat massa salis liquefacti.

Sal liquefactus, aqua solutus:
calorem chartae heliotropio tinctae et acido quo-
dam rubefactae, in coeruleum mutat; acido nitrico
effervescit; acido nitrico supersaturatus, argenti
solutionem, non tamen barytam muriaticam prae-
cipitat. Solutionem platinæ non praecipitat.

Seri residuum siccum, spiritu vino extractum
fusco-luteum et friabile conspicitur, pondereque
gaudet gr. 5, 25.

Fuit aqua excoctum
et fluidum postea percolatum, clarum fuit nulloque
colore tinctum. Evaporatione et siccatione apud
 100°C . residui praebuit subfuscum gr. $\frac{3}{6}$, aëre humoris
aliquid attrahentis; aqua solvitur colore fusco-luteo.

Solutio.

Colorem chartae heliotropio tinctae et acido quo-
dam rubefactae in caeruleum mutat; spiritu vini
leviter lactea fit; tinctura gallarum *non* turbatur.

C h y l u s.

non reactione in alcalia gaudet.

Pariter

acido sulphurico. non turbatur

Pariter. Liquescit massa continuo tumescendo, crepitando, et odore glutinis usti; comburitur flamma insigni, carbonem relinquit voluminosum, et tandem salis massam albam liquefactam.

Sal liquefactus, aqua solutus:

Pariter.

Platinæ solutionem maxima sola concentratio-ne praecipitat; acido sulphurico candefactus, aqua solutus et crystallisatus, prismata quadrilatera tenuia dehiscentia sistit.

Pariter.

librat gr. 19, 25.

Pariter.

Fluidum percolatum pallido-flavum fuit.

Residuum gr. 1, 25 pendit. Caeterum idem.

Solutio.

Eodem modo se habet.

Tincturae gallarum ope crebris floccis spissis
flavo-albidis praecipiatur.

L y m p h a.

Non acido nitrico praecipitatur.

Pars extracti aquosi comburitur. Intumescit modo dum humecta est, cornu spargit usti odorem; et combusto carbone, salem album liquefactum relinquit:

Sal ille aqua solutus:

Colorem chartae heliotropio tinctae et acido quodam rubefactae, in caeruleum mutat: et acido nitrico supersaturatus, argentum nitricum copiose praecipitat. Calce muriatica mixtus, multum praecipitati offert, quo acido nitrico soluto, fluidoque, ut expellatur acidum carbonicum, cocto, et tum denique ammoniaco juncto - parvi floccii pellicidi parietibus vitreae tubi adhaerescunt.

Pars aqua spirituque vini non solubilis seri siccata apud 100° , pondere gaudet gr. 5, est subfuscolutea materies, calefaciendo liqueficiens, intumescentia, quae, celerrime in flammam abiens, carbonem tumidum, et denique perparum modo cineris non liquefacti relinquit.

Pars cineris aqua solubilis colorem chartae heliotropio tinctae, et acido quodam rubefactae, in caeruleum mutat, acido nitrico supersaturata, leviter solum argenti solutionem turbat.

Chylius.

acido nitrico fere aequa copiose praecipitatur.

Pariter.

Sal ille aqua solutus.

Pariter.

Pariter.

Pars salis, acido sulphurico candefacta, aqua soluta et in crystallos redacta, plane in prismata longa, pellucida, dehiscentia mutatur, quorum pars aqua per pauca soluta, platinae solutionem magna sola concentratione praecipitat.

Pariter. Librat tamen gr. 17.

Pariter.

Pericolo facto in calce muriatica, acido nitrico et ammoniaco, natron phosphoricum detegi nequit.

L y m p h a.

Pars cineris aqua non solubilis, acido nitrico soluta, ammonio puro addito — non manifesto (nimis parvae fortasse quantitatis causa), insigniter autem ammonio carbonico praecipitatur.

QUIBUS DICTIS PATET.*L y m p h a.*

Continet.

I. Cinis partis fibrosae —

natron muriaticum, et calcem carbonicam.

II. Cinis albuminis —

natron carbonicum cum parva quantitate natri muriatici; calcemque carbonicam.

III. Materies aqua, non spiritu vini solubilis: natron carbonicum, muriaticum, parumque natri phosphorici, et materiam animalem, quae principio adstringente haud praecipitatur et salivæ substantiae simillima est.

IV. Materia spiritu vini solubilis — natron acido muriatico junctum acidoque organico, acido lactis verisimiliter; substantiam porro animalem, osmazom, ut videtur, putandam.

C h y l u s.

Pars cineris aqua non solubilis, acido nitrico effervescendo solvitur; ammonium purum e solutione perpaucos secernit floccos pellucidos; ammonium carbonicum tunc praecipitati multum efficit.

QUIBUS DICTIS PATET.

C h y l u s.

Continet.

I. Cinis partis fibrosae.

natron muriaticum cum pauco natro carbonico, et calcem carbonicam pauca cum calce phosphorica.

II. Cinis albuminis —

natron carbonicum parva cum quantitate natri muriatici; calcemque carbonicam, et parum calcis phosphoricae.

III. Materies aqua, non spiritu vini solubilis natron carbonicum et muriaticum, parumque natri phosphorici; parvamque quantitatem kali muriatici, et substantiam animalem, quae principio adstringente acidoque nitrico praecipitatur, albumen fortasse natro carbonico solutum.

IV. Materia spiritu vini solubilis.

Pariter; modo in extracto vinoso chyli aliquid kali muriatici, et pinguedo fusca inveniuntur.

<i>Continent.</i>	<i>Partes</i>	<i>Partes</i>
	100 <i>Lymphæ.</i>	100 <i>Chyli.</i>
Coaguli humidi	1, 5	1, 8
Seri	98, 5	98, 2
	<hr/> 100, 0	<hr/> 100, 0

Vel:

Substantiae fibrosae, parva quan-		
titate cruoris mixtae	0, 25	0, 42
albuminis	2, 75	3, 40
materiae aqua spiritu vini solubilis	0, 21	0, 24
materiae, spiritu vini solubilis	0, 69	0, 84
aquæ coaguli atque seri . . .	96, 10	94, 98
	<hr/> 100, 00	<hr/> 99, 88

Partes 100 Coaguli humidi continent:

partis fibrosae siccae parva cum		
quantitate cruoris	16, 67	23, 33
aquæ	83, 33	76, 67
	<hr/> 100, 00	<hr/> 100, 00

Partes 100 Seri continent.

albuminis siccii	2, 80	3, 50
materiae aqua, non spiritu vini		
solubilis	0, 22	0, 25
materiae spiritu vini solubilis .	0, 70	0, 86
aquæ	96, 30	95, 32
	<hr/> 100, 02	<hr/> 99, 93

§ 26.

De resorptione venarum.

Priusquam partem commentationis tertiam agredior, de resorptione venarum brevi aliiquid referre licebit, quippe quae, ut visuri sumus, parvi non est momenti. Venarum resorptionis facultatem jam merito negare nequimus, si anatomiae modo comparatae auxilio utamur: sistema vasorum lymphaticorum classibus solis quatuor superioribus cedit, in omnibus caeteris classibus igitur resorptio rerum assumtarum viis aliis fiat, oportet, quae vero sunt nonnisi venae sanguineae in animalibus, quae systemate circulationis gaudent, et integumenta communia in iis, quae hocce carent. Quum vero organorum sistema quoddam classibus inferioribus atque superioribus proprium, functionem suam nunquam omnino amittere, sed moderare solum, aut finibus certis includere possit; venis quoque vel hujus rationis causa, partem facultatis resorbentis nos attribuere decet, quam et rationibus positivis, quae sunt observationes ac pericula, probare possumus.

§ 27.

Experimenta in hac materie a veteribus instituta apud magnum Hallerum⁸¹⁾ enarrata invenimus, ad quem igitur relogo. Novissima ergo pericula solum

⁸¹⁾ Haller. Elem. phys. T. VII. p. 69. et de part. corp. hum. fabr. et funct. T. 1. p. 186.

enumerare licet; G. R. Treviranus⁸²⁾ venarum resorptionem argumentis sequentibus probat:

- a. In ovo incubato, primo jam tempore, venae truncus multique adsunt rami; apparet arteria multo serius; vena, dum igitur sanguinem reducere nequit, substantias, et nominatim, ovi vitellum recipiat. oportet. Quod etiam C. F. Wolf in figura venosa demonstravit.
- b. In sanguine etiam venae umbilicalis ovi vitellum invenere. Hanc observationem argumenta Reussii⁸³⁾, quoque approbarunt quibus modo simili absorptionem fluidi per venam umbilicalem placenta fieri, patet.

Investigatus fuit sanguis animalium gravidorum, et, testantibus Magendie et Meyero, eadem in humoribus fetus repertae sunt res, quae in sanguine matris aderant.

Subligatus imo fuit ductus thoracicus, et alimenta in ventriculum ingesta tamen in sanguine dotes suas conspiciendas praebuerunt. Eb. Home⁸⁴⁾ rhei solutionem in ventriculum et tubum intestinalem ingestam, ductu thoracico ligato, in sanguine, urina et bile se animadvertisse dixit. Meyerus⁸⁵⁾ pericula cum kali borussico instituens, eodem, quo Eb. Home, gaudet eventu.

82) Treviranus Biologie B. 4. S. 500. — Cf. Wolf. Theor. generat. Ed. nov. p. 2. sqq.

83) Experimenta instituens, fluida per venam umbilicalem placenta absorberi vidit.

84) Eb. Home phil. transact. 1811. ps. 1. p. 561. oder Reils Archiv T. 12. S. 125.

Non minus actio venenorum resorptionem venarum probat, cum Blizzard⁸⁶⁾, nuperrime Magendie⁸⁷⁾, Delisle⁸⁸⁾ et Emmert⁸⁹⁾, magni nobis momenti pericula in hac re praebuerint.

Meyerus⁹⁰⁾, venarum pulmonalium resorptionis facultatem experimentis se probasse, credit; pigmenta aliasque res pulmonibus animalium injecit, easque res injectas duabus aut quinque post minutis in sanguine, imo in sanguine atrii dextri cordisque ventriculi, minime autem in chylo invenit.

Magendie⁹¹⁾ resorptionem venarum tubi intestinalis novis periculis illustravit; dum canibus pigmenta, acida caet. dedit, numquam ea in ductu thoracico invenit; substantias narcoticas e. g. opium etc. vim, qua pollut haec remedia, exercere vidit et ductu thoracico ligato; odorem porro asae foetidae in venis ventriculi, intestini tenuis et caeci, non autem in chylo, nec in sanguine arterioso distinguere potuit.

Mekelius⁹²⁾ nuperrime venarum resorptionem non quidem verisimilem reddere studuit; argumenta vero, quibus sententiam suam firmavit, periculis recentibus partim confutata sunt.

85) Meyer über das Einsaugungsvermögen u. s. w. im deutschen Archiv B. 5. S. 485.

86) Blizzard in den Goettinger Anzeigen 1787. 889.

87) Magendie — 88) Delisle — in Meckels Archiv B. 2. S. 150.

89) Emmert in den Tübinger Blättern für Naturwissenschaft und Arzneik. B. 2. S. 97. — 90) Meyer l. c. — 91) Magendie l. c.

92) Meckel in sein. Handb. der menschl. Anatomie. B. 1. S. 253.

§ 28.

Taceo de relatione singulorum experimentorum, quum hujus in objecti scrutatione amplius versari meum non sit. Transeamus igitur ad partem tertiam, ut videamus, quae sit experimentorum summa.

P A R S T E R T I A.

Quae ex periculis captis sequuntur, sistens.

§ 29.

Docuit experientia, ad medicinae p^raexcepta generalia nos sola inductionis via pervenire posse; sed singulos cum diligentissime et accuratissime casus scrutati fuerimus, et in observatione, quantum potuit, omnem p^raexceptam opinionem et deceptionem deposuerimus; — etiam eorum compositione et comparatione inter se et cum aliis naturae phaenomenis, leges statuere licet, quibus eadem phaenomena consequi, oportet. Medium, quo nos circumdantem naturam cognoscimus, sensus nostri sunt, qui finibus arctioribus sunt circumscripsi, quam ut totam simul naturam perspicere, ejusque phaenomena in nexu causali agnoscere possimus. Naturam ideo in officina sua visitamus, et tam multa et varia, quae facit, ignorantes, quasi quaerimus eam nostris experimentis. Haec via est, qua orta est medicina, et qua usque ad altum illum gradum, ratione duce, pervenit. Nostra autem pericula, si caeteris comparemus, sequentia invenimus:

A. Metalla per vasa chylosa in sanguinem transire
haud videntur.

Omnibus in periculis nostris ea nec ammonio hydrothionico nec aliis reagentibus in chylo reperimus. Magis autem venae mesentericae eorum resorptione gaudent; detectum enim fuit plumbum in venae lienalis, portarum, mesentericae et hepaticae sanguine ⁹³⁾, porro in sanguine venae lienalis et portarum ⁹⁴⁾. Plumbum fortasse in vasa lymphatica vim adstringentem exserit, in equo ⁹⁵⁾ saltem ita mihi fuisse videtur. Quoad ferri transitum, non certo dijudicandum est ob ejus in sanguine praesentiam.

Metalla aut valde tarde, aut omnino non resorbentur, aut ita saltem decomponuntur vi, qua pollet systema digestionis et resorptionis, ut nonnisi particulae perparvae recipiantur, quae reagentibus nostris detegere nequimus, et quae particulae, cum substantiam organicam haud inire videantur, in secretionis tantum organis una confluentes, ut metallum iterum excernuntur.

B. Substantias organicas non unquam in chylo reperimus.

Dedimus camphoram, moschum, asam denique foetidam et chylus semper odorem edidit animalem; nec sanguis venarum intestinalium ullum praebuit rerum olientium signum, nec

93) Cf. exp. 4. — 94) Cf. exp. 5. — 95) Cf. exp. 6.

secreta, licet Magendie⁹⁶⁾ alcohol aqua dilutum et cani intrusum e sanguine ejus per destillationem recepisse velit.

C. Substantiae colorantes vasis lacteis non recipiuntur.

Dedimus indicum, rubiam tinctorum, tincturam alcannae, rheum, amyolum — et non unquam coloris mutati signum reperimus, quamvis secreta aliquando manifestissime eas continuissent. Chylus semper colore lacteo induitus, in equo solo subrubro flavus fuit. Pleraque pericula in indico veteres fecerunt physiologi omnesque usque ad recentiores hoc pigmentum in chylo se reperisse dicunt. Magna quidem excellunt auctoritate Musgrave, Lister, Hallerus et Blumenbachius⁹⁷⁾, quibus viris illustribus certe repugnare ausus non fuisse, nisi contrarium sensibus meis propriis persuasum habuissem. Color sanguinis ruber, ut transitum cuiusdam pigmenti cognoscamus, non plane concedit; saepissime enim, additis reagentibus, turbatio colorisque mutatio oriuntur, ex quibus autem pigmenti praesentia certa indicari nequit. In medio igitur relinquimus, utrum substantiae colorantes venis resorbeantur, nec ne.

D. Notatu dignum, kali ferroso-borussicum et in chylum et in sanguinem⁹⁸⁾ celerrime transisse

96) Magendie Prec. elem. T. II. l. c.

97) Blumenbach. l. c. conf. p. 6. hujus comment.

98) Cf. exp. 7.

“), ita ut fere in omnibus secretis humoribus id invenerimus, postquam vix sesquihora ante canis id voraverat. Quod amyllum attinet, sacchari forma id in vias secundas transire, credo, quod experimenta nova confirmant, oportet.

E. Maximi momenti vis aëris in chylum mihi esse videtur. Praecipue experimentum nonum ferri praesentiam in chylo verisimilem reddidit, et hoc periculum si saepius repetatur, de principio colorante sanguinis majorem nobis certitudinem fieri, credo.

§ 22.

Quod tantum obiter notabo, cum ad quaestionis datae responsum non proprie attineat, est:

- a) Aciditatem in chylo non praevalere. Semper plus minusve indolis alcalinae invenimus.
- b) Sanguinem venae lienalis et portarum in omnibus experimentis nostris, striis albidis chylosis mixtum fuisse, quas strias autem in sanguine venarum aliarum minime conspeximus, striae igitur illae venarum resorptionem scilicet approbare possunt, quae autem nostra detectione plumbi et fortasse etiam ferri in sanguine venarum abdominalium, magis - adhuc elucet.
- c. Irritationem nervi vagi functionem muscularum ventriculi, praesertim in regione cardiaca, augere.

99) Wollaston — siehe Gilberts Annalen der Physik B. 43. p. 81 etc. — fand das blausaure Kali nicht im Serum des Blutes, wohl im Urine. Auch Marcket fand es nicht im Serum einer durch ein Wasenpflaster erzeugten Blase.

- d) Succum gastricum semper sese acidum praeberet.
- e) Substantias odoras nunquam longius, quam usque ad caecum odorem spargere suum. Metalla et pigmenta plerumque totum per tractum intestinalem aderant.

§ 31.

Mea igitur, si ex omnibus conclusionem comprehendam, opinio haec est:

Vasa lymphatica chylum resorbent; attamen praesertim illas modo substantias quae ad formationem et structuram organorum nostrorum aptae et necessariae sunt. Gaudent vasa lactea sensibilitate propria, si hoc verbo uti licet, eaque facultate particulae, eorum superficie oblatae, modo minore, modo majore celeritate, et aliquando omnino non suscipi videntur. Saepissime accidit, ut substantiae in ventriculum et tractum intestinalem susceptae, tempore quodam praeterlapso, in chylo non inventantur, et in organis secretionis et excretionis, vim tamen suam, qua pollut. manifestent; tum nobis duae sese offerunt viae: aut venae mesentericae resorbent — quae venarum facultas multa cum probabilitate ex supra dictis praestat. — aut res assumtae vi digestionis ita decomponuntur, ut gulae particulae nonnisi mutata ratione a vasis lacteis recipiantur, eaque ipsa mutatione reaktionem chemicam fugiant. Quod autem de particulis resorptis ad animalisationem non adhibetur, id in organis secretionis iterum forma quasi subprimitiva secernitur. Tali modo fieri potest. ut res in humoribus secretis obviae nobis fiant, quas tamen nulla ratione nec maxima diligentia in chylo reperire possumus. Metalla praesertim, etiamsi in sanguinem transeant, minus formationem mixtionemque partium inire, quam eas potius immitare videntur, aut detractione ejusdam rei, aut additione aut tota simul mutata ratione singulorum elementorum.